Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1801

Quelle:
Copyright:

nendum. Igitur ſequitur Prologus *Quaeſtionum Caſualium,* quae prelo nunquam ſubjectae fuiſſe videntur, in *Mſs.* tamen extant. Dein Prologus ipſius *Summae* cum Elencho Titulorum omnium IV. ejus Librorum, tandem *Summa* hoc initio: *Quoniam inter eccleſiaſtica crimina ſymoniaca hereſis* &c. *Fol.* 398. Rubrica: *Iſti ſunt paragrafi Summe fratris Raymundi per Numerum, ſecundum quem ut plurimum in hac ſumma confeſſorum eorundem fit aſſignacio. Fol.* 402. *Incipiunt ſtatuta ſumme confeſſorum ex ſexto decretalium addita* &c. Monitum praevium ita init: *Ne libri qui de ſumma confeſſorum iam ſcripti erant appoſicione ſtatutorum a domino Bonifacio ſummo pontifice nuper* (id eſt 1298.) *in ſuo ſexto libro decretalium collectorum et de nouo editorum deſtruerentur, aut fructus ex eorum noticia animabus proueniens negligeretur — vtile iudicaui in fine ipſius ſumme ſub titulis eiusdem ſumme et eodem ut plurimum queſtionum numero, in quibus incidunt, de ipſis ſtatutis tantum apponere, quantum ſufficere uidebitur ad noticiam confeſſorum.* &c. Tacent de hac Adpendice Bibliothecarii Ord. Praed. quibus tam uber *Johannis* noſtri Exemplar nuſpiam oblatum fuiſſe videtur. Ad hanc porro ubertatem facit etiam completiſſima *Tabula* alphabetica, quae a *fol.* 418. ad usque Codicis finem pertinet.

DCCL.

Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 319. f. per duas columnas bene ſcriptus et coloribus illuſtratus hanc Rubricam praefert: *Incipit ſumma de caſibus compilata per fratrem Aſtexanum de ordine fratrum minorum vbi premittitur copia litere eiusdem fratris ad dominum Johannem Gaytanum ſancti Theodori dyaconem Cardinalem et poſtea ſubiungitur copia litere eiusdem domini quam miſit ad ſupra dictum fratrem quando ſummam recepit.* Rite omnia, prout in vetuſtiſſimis tribus hujus Summae Impreſſionibus, quarum differentias deſcriptas dedi in *Supplem. Annal. Typogr. Maittair.* P. II. p. 496. 4. In praeſenti porro Codice e *Libris* VIII. non niſi III. primi inſunt. Autoris Epiſtola data eſt *Januae Anno domini M°. CCC°. XVII°.* E Praefatione, quae incipit: *Bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Sap. III°.* juverit obſervare, quos fontes Doctor noſter in Opus ſuum derivarit: *De ordine meo fuerunt multi, precipue iſti ſcilicet Frater Alexander* (Alenſis) *de Anglia, qui, quando fuit ordinem ingreſſus, erat magiſter legens actu ſacram ſcripturam Pariſius ſuper omnes temporis ſui famoſus; Frater Bonauentura etiam famoſiſſimus tempore ſuo, qui fuit multo tempore Miniſter generalis et poſtea Cardinalis; Frater Guillelmus Anglicus de Mara* (Lamarenſis); *Frater Galtherus* (Gualter. de Brugis)

 qui